



Aus Grünberg traktir

etf. 59. 2.

18.  
**FRANCISCVS WOKENIVS**

S. THEOL. LIC. LINGVAE HEBRAEAE ET  
OO. PROF. PVBL. ORDIN.

**NOBILISS. THEOLOG. ET PHIOL.**  
**CVLTORES**

AD PVBLICE AVDIENDVM

**JOBV M**

DECENTER INVITAT,

ET DE

**PRAEJVDICIIS QVIBVSDAM CRITICIS**  
**IN JOBI LECTIONE**

EVITANDIS  
SOLICITE MONET.

K.

---

**WITTENBERGAE**

**EX OFFICINA SCHLOMACHIANA.**

JOSEPHUS FLAVIUS  
HISTORIA JUDAICA  
TRANSLATI A THOMAS  
LUTHERO  
AD MILESIAVENSIS  
LIBRARIAM  
TYPIS ET SVB CVM  
SOLICITA MICHAELE  
MULLERI SVRIO  
IN IORI PLETONI  
TRADIDICIT  
JACOBUS  
HORN  
MUNICHIA  
1550



## DE PRAEJUDICIIS PRAECIPVIS IN JOBO VITANDIS.

**Q**ui Jobi librum manu critica, sed pia, est tractaturus, infelicititer agit, si mentem non attulerit præjudiciis vacuam. Quantum enim in quavis materia nocet, pestifero quodam ferri præjudicio: tantum in primis id nocet in rebus obscurioribus, aut variis variorum moliminiibus, huc & illud tractatis & quodammodo dubiis redditis. Proinde non erit, qui inficias eat, mentem ab omni præconcepta opinione non satis probata, vacuam, ad Hiobei libri expositionem afferri debere. Omnium enim, & antiquiorum & recentiorum Criticorum consensu, quod ad stylum maxime pertinet, Hiobus omnium Hebræi codicis librorum difficillimus censemur. Testes vultis? **HIERONYMVM**, Patrum omnium in Hebræis doctissimum, dabo. En querentem α): Obliquus etiam apud Hebreos rotus liber fertur εἰ lubricus, et, quod Graeci Rhetores vocant ἰσχνωτούσεος, dum quis aliud loquitur, aliud agit; ut si velis anguillam vel murenum strictis tenere manibus, tanto citius elabitur. Mini, me ob intelligentiam hujus voluminis Lyddeum quendam Preceptorem, qui apud Hebreos primus baberi putabatur, non parvis redemisse nummis; cuius doctrina an aliquid profecerim, nescio. Hoc unum scio, non potuisse me interpretari, nisi quod ante intellexeram. En **LUTHERVM** β): Im Hiob arbeiteten wir al-

α) **HIERONYMVS** pref. in *Job. OO.* T. I. p. m. 345.

β) **LUTH.** s. Jen. Teutsch. T. f. m. 341. b.

PRAEIVDICIA

so/ M. Philippus/Auogallus und ich/ daß wir in vier Tagen zuweilen  
 kaum drey Zeilen künften fertigen. Idem HOTTINGERVS γ), idem  
 COCCEJVS δ), uterque in orientalibus insigni pollens eruditio-  
 ne, fatetur. Noles, ut plures nominem, si quæ alii, & inter  
 hos B. CH. CHEMNITIWS ε), & Cel. D. D. J. G. CARPZOVIWS ζ)  
 attulerunt, legeris. In his tantis tenebris, facillimum longe est,  
 impingere, vel igne fatuo seduci, nisi attenta hic agas mente.  
 Facilius enim sensus hic inferri quam efferrri potest. Præter na-  
 tivam quasi hanc obscuritatem, alia adest, quæ non minus no-  
 bis facessit negotii. Summa libri antiquitas, qua Mosis libros  
 vel superat vel æquat, in tanta antiquissimæ historiæ jactura, non  
 potest non multa nobis proponere historica, quæ penitus nos jam  
 fugiunt, vel tamen quasi per transennam vix ac sape ne vi qui-  
 dem cerni possunt. Accedit tertia, eaque plane externa, obscu-  
 ritas. Idem huic libro antiquissimo fere accidit, quod antiquis-  
 simis inter Profanos autoribus hodie contingit, ut ingenia ad fin-  
 gendum apta, alienisma ipsis tribuant, de quibus ne quidem per  
 somnum cogitarunt prisci horum librorum autores. Vel solum  
 Poëtarum Proavum Homerum respicere si vacat, quid non ausi  
 in eo sunt recentiores quidam Critici? Qui G. CROESII Öunzer  
 & Späte, vel inde solum ab aliis *Viris Cel. excerpta* η), attente legit,  
 & quam improbo ac inani labore is in Homero Historiam Hebræ-  
 am querat: is, vel me tacente, asserto meo accedet. Ipsi ita-  
 que Clarorum quorundam Virorum ingenii latus, vel, ut volunt,  
 novæ hypotheses, facili opera cordatioribus persuadebunt, quod  
 in difficilius hoc libro, qui inoffensa veritate progredi velit,  
 sco-

γ) HOTTING. in *Theſ. Philol.* p. m. 502.

δ) COCCEJ. in *Dedic. Comm. in Jobum T. I. O.O.* p. m. 374.

ε) CH. CHEMNITIWS in *diff. de Persona S.* libro *Jobi*.

ζ) CARPZOVIWS *Introd. ad EL. Vet. Test.* P. II. p. 59. sq.

η) Conf. Act. ERVD. *Lipſ. Lat.* 1705. p. 74. sqq. *Altes und neues 1704.*

p. 290. sqq.

scopulos non nullos evitare debeat. Horum itaque quosdam generaliores & præcipios monstrabo.

Ante omnia cave, contra *EZECH. XIV. 13. & JAC. V. 11.* credas, Jobum nunquam existisse, sed sensum modo *enigmaticum* hic dari. Nolo jam circa locum ex *Talm. tr. Bava Bathra*, ab omnibus fere allatum אֵין לְאָחֶת וְלֹא נִבְרָא אַלְמָנָה. *Hiob non fuit, nec creatus est, sed parabola fuit,* multus esse, cum ab errore Autor eorum absolvi nequeat, quicquid & Judæi laborent. Quemadmodum quondam mihi *Judæus eruditus, HIRSCH MOSE,* retulit, quantum per aliquot septimanas laborem impenderit, ut *TRIGLANDO*, hoc ipsi dubium moventi, respondeat. Huc potius tendit admonitio, ne quis nova & quodammodo periculosa *Viri cuiusdam Cel. opinione* se capi patiatur, quando dictitat, libri Jobi sensum *enigmaticum* esse, sub quo historia *Judaorum* in captivitate *Babylonica* occultata fuerit. Quæ hypothesis *enigmatica*, uti luxuriantis solum ingenii est foetus, ab omnis sane monstri specie non abhorrens, & in S. Scripturæ tractatione maxime suspecta <sup>1)</sup>: ita in hoc Jobi libro omni caret probabilitate. Jobus dicitur אֲוֹשֵׁה וְשָׁר וְיָרָא אֱלֹהִים וּסְרָעֵן Vir integerrimus, rectus, Deum timens & recedens a malo, c. I. 1. conf. I. 8. II. 3. &c. Israel vero in captivitatem abductus, omnium minime talis fuit. Crucem, quam multiplicem hic expertus est Hiobus, nemo pœnam dicet, qui & statum ejus fidei, disputationem etiam ejus cum amicis, pœnam ex parte divinam creditibus, & quomodo Deus interveniens, eos hac in re errasse, edixerit, curate secum perpendit. Castigationem & *douleur* potius dicemus. Quis autem assereret, *Judæos* in captivitatem ablatos, non nisi castigantis & fidem ac constantiam probaturi Numinis sensisse manum? Itaque historia Jobi & Israelitarum in Babyloniam deductorum, Causa, Subjecto, Forma & Fine sibi non respondent: qui igitur altera ad

1) Conf. *Cel. Dn. L. SEELENII Diff. de Jona enigmatico, & plures.*

alteram exhibendam, conficta foret? Taceo circumstantias, in quibus excogitandis Autor libri admodum infelix fuisset, si easdem in hunc finem modo excogitasset.

Genuinus Critices amator pariter, in excussione libri Jobi, ne supponat, librum Jobi primitus lingua Arabica scriptum fuisse. Ne terreat te, B. Lector, magna nomina, quorum autoritate haec se sententia magis quam argumentis tuetur. BOCHARTVS, HOTTINGERVIS, POCOCKIVS, SPANHEMIVS & alii, Viri sunt celeberrimi, pariter & in his litteris exercitatissimi; sed optime nosti, in hac palæstra non quis, sed quid, dixerit, attendi, nec autoritatibus, sed rationibus pugnari debere. Argumentorum autem quia destituuntur, qui ita sentiunt, ponderibus: TV, pace tantorum Virorum, dissentias, & Hebraeum, quem habemus, intrepide textum originarium credas. Ne credas, magnis semper maximi roboris argumenta adesse. Cel. Vir, qui ante aliquot annos, ex professo, hoc sibi defendendum suum sit, quatuor omnino argumentis probare satagit, librum Jobi primum Arabice fuisse scriptum: quæ videamus, ne incautum seducant. I. argumentum in formas hoc erit: Si in Jobo sunt vocabula, in V. T. alias non occurrentia, & in nulla lingua, nisi Arabica, adeo frequenter & usitata, e qua & eorum radices & significaciones repeti debent: Jobus primum est arabice scriptus. Atqui E. At quicquid sit de Minore; Major argumenti non procedit, & plus inde inferri nequit, quam, quod interpres L. Jobi Arabismo destitui non debeat. Nec plus valet argumentum II. quod ita efferemus: Si in Jobo occurruunt voces Hebreis quidem usitata, sed quibus b. l. significaciones recepta durum darent sensum, Arabismus vero optimum: liber Jobi primum lingua Arabica est scriptus: verum est prius. E. Attamen, & hic Major nil valeret. Ultrumque argumentum multo magis inverttere possumus, & concludere, quod non ex Arabico in Hebraeum aliquis, Judæorum, Arabica ignorantium, causa, librum hunc yerterit, quia is non

IN JOBO VITANDA.

non adhibuisset vocabula Hebræis plane ignota, vel aliud significantia, cum ipsi nota ad manus fuissent. Quis autem diceret, interpretem, ut volunt, ὁ σώματος, finem intentum, ut Judæi intelligerent, neglexisse? Hæc potius pro obsoletis Hebræis, quæ filia, Arabica, asservavit, habebis, qualia & alias plura dantur. Argumento III. plus inesse roboris, primo aspectu, dices: Hoc est: *Si in L. Jobi phrases & constructiones Arabibus propriæ deprehenduntur: primum Arabice fuit scriptus, & inde in Hebreum versus.* Sed prius est. E. Verum & Major & Minor dubios nos relinquit. Majorem forte verum dices, quia in versionibus id videmus, quod sæpe redoleant pristinum idioma. Sed cave, Spiritui S., ex ita sentientium mente, versionem dictanti, eam scribas dicam, quam e. gr. interpreti Sadducismi Glanvillii Germanico, siquidem hoc in vitio est, prisci idiotmatis idiotismos lingvæ peregrinæ immiscuisse. Nec valet collectio: Hæc phrases alibi in codice Hebræo non occurrit: ergo non est Hebræa. O quam multas phrases in usu fuisse, credere fas est, cum lingua esset in flore, quæ hodie ne quidem novimus! Sed nec Minor omni exceptione major est. Loca profert XV. in quibus phrases & constructiones Arabicas se invenisse, sibi persuadet. *JOB. I. 15. voces שָׁבֵת וְהַפּוֹרֶת*, Genus Fœm. singulare cum Nominis collectivo construi, more Arabico, putat. Sed *שָׁבֵת* est nomen regionis *Gen. Fœm.*, h. m. & cecidit *Saba*, regio pro incolis, ut soepe. *JOB. IV. 3. voces פִּתְחָה וְיָדָה* iste merum Arabismum autumat, quo *Futurum post Præteritum*, hiujus significatum, (rectius, tempus) assumit. Sed salva res est. *Enallage* ne quidem est; sed h. m. exprimit Eliphas, quid *Jobus agere fuerit solitus, & Futurum est nisus & consuetudinis*, adhuc adamata. Quod si negares, in *Psalmiss*, *Proverbiss*, &c. libris, florente L. Hebræa scriptis, tantum non ubique impingeres. *JOB. VI. 10. וְאַלְמָנָה* esse Arabum *blm*, alternante *ת* & *ת*, & constructionem cum *ב* Arabicæ huic & radici conuenire, dicit. Sed mera est totje-  
stura:

## PRAEJUDICIA

cura: & non probatum, quod סָלֵר Hebræis antiquis cum בְּ non fuerit in usu, ut h. l. ubi בַּחֲילָה est in dolore. Nec est ex natura Verbi ea cum בְּ constructio, sed modus Hebræis tritissimus, ita statum, in quo aliquid sit, cum בְּ exprimere. *JOB. XIII. 12.*  
טָשְׁלִי אֶפְרַיִם, V. Cl. est constructio Arabibus frequentissima. Sed quid inde? Anne & Hebræus aliquid dicit similitudinem alterius, s. simile ei? *JOB. XIV. 17.* V. C. purum Arabismum credit, quia ibi בְּ טָבָע cum בְּ s. לְ construatur, & eam Particulam expONENTES alloquitur: *En quam inane operas pariat neglectus lingue Arabicæ!* Sed bona verba! Estne סָלֵר in Hebræo cum בְּ constructum *PS. CXIX. 69.*? An hoc spreto, ad Arabicum confugere fas est? Sensus: *Et tu, Deus, concinnas super peccatum meum, fasciculum scil. illum peccati, de quo statim antea. JOB. XIX. 3,* non vox solum *הַרְכָּבוֹ* ex Arabicō *שָׁפַע* stupuit derivanda, sed & constructio Arabicæ V. Cl. videtur, qua Futurum pro Infinitivo ponatur, h. s. *non erubescitis, me obtundere, seu stupefacere.* Quamvis vero & radix Arab. melius, quam *COCCEI* anomaliae mihi placeat; constructio tamen Arabum necessaria haud est. Verto: *non erubescitis;* (potius) *miki stuporem infertis.* Duo Futura in duabus Enunciationibus bene subsistunt. *Job. XX. 2,* Arabismum sapere videtur, quod suffixo adhuc Particula additur, בְּ רֹאשׁ. Sed ipse, V. Cl. quasi oblitus hujus Arabismi, emphaticam significationem תְּזַהֵּר tribuit, que in me, inquam. Repte exponas: & quidem proper τὸ festinare meum, quod in me est. Plane Hebræa sunt. *JOB. XXII. 9.* Arabismus creditur, quod in verbis וְרוּחוֹת יְהוּמִת וְנוֹכָחָה & Genere & Numero Verbū a Nominē differt. Ipse tamen Cel. Vir mox ipse fatetur, cum Arabismo hoc minime convenire, quia Verbum Nomini postponitur; nec non, quod יְרוּעָה sit Gen. communis. Est ergo Hebræis usitissima distributio. *JOB. XXIII. 13.* Arabismum redolere dicitur, quia בְּ Pleonastice Arabes adhibent. Sensem non exprimit V. Cl., & torquent se interpres.

GAL-

IN JOBO VITANDA.

GALLVS Ellipsis nimiis scatet, ex verbis וְהָא בַּמִּנְדָּבָר faciens.  
 Mais si il a fait un dessin. ANGLVS: But he is in the one mind.  
 Longius abierunt Græci: εἰ δὲ καὶ διάτος ἔχειν γένεται. Alii aliter.  
 Melius s. SCHMIDIVS: At ipse est in uno, s. se ut unum exhibet.  
 Mallem tamen: est in uno & immutabili consilio, quis avertet illud  
 unicum & constans eius consilium? Placet interim, quod V. Cl.  
 Pleonasmus a lingua Hebraea removet. JOB. XXX. 15. verba hæc  
 פְּנֵי תְּרוּמָה עַל בְּלֹהֶם purus putus dicuntur Arabismus, quia ver-  
 bum Masc. Singulare post se regit Femininum Plurale. Sed non  
 attendit פְּנֵי esse Infinit. Hophal. Vertas: Est effundi contra me  
 terrores, h. e. terrores se effundunt contra me. Hebraismo con-  
 venienter. JOB. XXXII. 22. Habeo, inquit, pro Arabismo, quo  
 Futurum pro Infinitivo ponitur, b. m. Quia non novi figurate lo-  
 qui (veritatem tegere) certe brevi me tolleret factor meus. Quid?  
 An Deus punit, qui non tegunt veritatem? Absit. Dixerat v.  
 præc., quod προσωποληψία esse nolit. Pergit jam: Cum non scivi  
 (amota προσωποληψίᾳ, hominum dignitates) appellabo eos (uti ex  
 iustitia cause debo, s. bonos, s. malos). Rationem addit: post  
 pauca me auferet creator meus, brevis est vita hæc, cuius ergo  
 προσωποληψία esse nolo. JOB. XXXIII. 27. וְשָׁוֹר contemplandi si-  
 gnificationem, ex Ar. וְשָׁוֹר habere credit, unde & cum וְשָׁוֹר, ut  
 Arab., construatur. Arabismus potius utrumque a matre He-  
 bræa accepit. Nec male Dr. KORTVM: Denn wird er gegen die  
 Menschen freyheraus bekennen. JOB. XL. 24. urget וְעַזְעַז super pulvere non est ei simile. Sed vox מְשֻׁלָּח & He-  
 brais est collatio similium. IV. Argumentum denique hoc erit:  
 Si Arabes proverbii abundant, Et h. l. proverbia occurunt: liber  
 primum Arabicæ fuit scriptus. Atqui. E. Sed ita colligerem for-  
 te, & Proverbia Salomonis primum Arabicæ esse scripta. Major  
 nulla est. Et quid quatuor illa proverbia probant, quæ h. l. ad-  
 esse credit? Nil hoc facit, nisi probaverit, Proverbia talia occurrere,  
 quæ in sola lingua Arabicæ proferri possunt.

B

(a)

Nec

Nec Virorum Celeberr. autoritate movearis, ut supponas, quod colloquia inter Jobum & amicos agitata, a Jobo quidem, stylo impuriori, fuerint conscripta, quibus seniori manu deinceps alius Vir Θεόντευσος historica & præmiseric & subjunxerit, stylo penitus puro. Exquiras ab Ipsiis, quid per stylum impuriorum intelligent: an illum ita dicant, qui Barbarismis & Soloeclismis scatent; an, in quo vocabula quædam adsunt, hodie non nisi ex cognatis Arabicis exponenda. Si prius volunt: dicas, hoc esse S. Scriptura indignum. Si vero posterius: precare eos, ut ea, quæ Dn. ALB. SCHVLTENS, in Anim. in Jobum & Dn. J. A. KROMAIERVS in Tr. de usu L. Arabicæ, in Job. I. & II. & XLII. 7. sqq. ex Arabismo repetunt, omnia prius ipsi eripiant, quante in sententiam suam ire jubeant. Tandem & vel ideo huic opinioni non favebis, quod librum Θεόντευσον seniori manu interpolatum nobis fistat: a qua opinione recedendum, judicavi jam olim, in disp. de additionibus librorum Canonicorum Canonici.

In amicorum Jobi autem Orationibus exponendis, attente agas, ne in excessu pecces, & ipsorum orationes, non solum S. scriptori inspiratas, sed & eo ipso a Deo totas comprobatas, statuas: Deus enim eas improbat c. XLII. 7. 8. Nec tamen ob hanc improbationem divinam, eas totas, quantæ quantæ sunt, falsas dicas. Potestne alter ex errantibus recte per omnia in thesi, sed erronee in hypothesi agere; alter in quibusdam, alter in plurimis vel omnibus Principiis vera dicere; alter veris Principiis & conclusionibus falsa quædam inspergere? Hinc, post citationes N. T. ad modos argumentandi & reliqua media hermeneutica omnia exigamus.

Sed de his aliisque in prælectionibus publicis in JOBUM plura. Ad quas, proxima Lunæ die & deinceps sedulo audiendas, NOBB. DN. COMMITTONES amicissime invito. D. XII. Augusti, A. C.

M D C C X X I X .

(o)


Fd 3348



f  
56.

Art.





FRANCISCVS WOKENIVS  
S. THEOL. LIC. LINGVAE HEBRAEAE ET  
OO. PROF. PVBL. ORDIN.  
*NOBILISS. THEOLOG. ET PHIOL.*  
*CVLTORES*  
AD PVBLICE AVDIENDVM  
**JOBVM**  
DECENTER INVITAT,  
ET DE  
**PRAEJVDICIIS QVIBVSDAM CRITICIS**  
**IN JOBI LECTIONE**  
EVITANDIS  
SOLICITE MONET.  
WITTENBERGAE  
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA.

